



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. III. Romana hæreditatis. An, & quando institutio hæredis in bonis alicujus Civitatis, vel Provinciæ, dato alio hærede in reliqua universitate, dicatur hæres universalis, vel particularis; Et de ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

## DISC. II.

Requenter de ista questione agi contingit, quoniam præsertim uxorati consuetudinem habent instituenti uxores usufructuarias ad vitam, atque post earum mortem dandi hæredem in proprietate, non quod in uxoribus aliquid peculiare in jure statutum sit, sed quia ista est frequentior contingentia, ideoque intrat questio, an vocatus post mortem primò honorati, jure substituti, ac secundi hæres potius, quàm primi & directi habendus veniat, vel è converso, ad plures effectus exinde resultant, potissimè verò illum plures insinuatam *subtit. de fideicommissi.* super caducatione, vel transmissione respectivè, quando casus præbeat præmorientiam secundi, quem testator speravit primò superstitem fore; Ac etiam percutiat alterum effectum detractionis Trebellianicæ juxta casum disputatum in *Imolen. sub tit. de derivat. disc. 33.* cum similibus effectibus exinde resultantibus; Inter quos est ille, de quo in hac facti specie agebatur, super restitutione scilicet fructuum medio tempore perceptorum faciendi necne per Victoriam à Felice viro institutam hæredem in usufructu sub lege viduitatis, scripto post ejus mortem naturalem, vel civilem hærede, Beneficio erigendo, quoniam cum Victoria post aliquorum annorum decursum, ad secunda vota convolatasset, prætendebat beneficiatus, qui jam hereditatem pacificè obtinuerat, ut fructus percepti quoque restitui deberent, idque pendebat ab hoc puncto.

In ista etenim questione, an uxor quæ sub lege viduitatis aliquid ex vii dispositione obtinet, contraveniendo teneatur restituere fructus interim viduitate durante perceptos, præcipua distinctio est, an agatur de legato, vel institutione particulari, vel potius de institutione universalis; Primo etenim casu intrat distinctio, an dispositio sit conditionalis, vel modalis, unde propterea DD. nimium certant, quando concepta est in gerundio, an importet potius conditionem, vel modum, ut advertitur *sub tit. de legatis*; In altero autem, in quo agatur de institutione universalis, hujusmodi distinctiones non intrant, sed indefinitè, dato casu contraventionis, intrat retroactio ad initium, & consequenter intrat restitutio fructuum, ex ea differentie ratione, quod hæreditas ad tempus, vel sub conditione dari non potest, neque in annos distribui, ut antiquioribus relatis, ita distinguendo firmatur in *Imolen. bonorum 31. Maii 1913. coram Coccino*, quæ reputatur in materia magistralis cum concordantibus per *adden. ad Gregor. decis. 187.* & frequenter, cum sit distinctio recepta; ideoque huic mulieri expediebat eam esse potius legatariam, quàm hæredem; Sicuti è converso ad prædictos alios effectus caducationis, vel trebellianicæ, ac similes, res est in oppositum.

Cum igitur in ista causa pendente coram A. C. Scribentes hinc inde, in dicta theoria, seu distinctione concordarem, ideoque restringeretur questio ad applicationem; Dicebam scribens pro muliere (etiam cum sensu veritatis, qualem credo, quod Juxta agnoverit, ei concedendo absolutoriâ) quod licet apud antiquiores magna involutaque fuerit ista questio, in qua DD. hinc inde per classos scissi sunt, ut patet præsertim ex plenè relatis per *Belon. jun. de jur. accresc. cap. 7. quest. 16. ubi ex nu. 181.* questionem disputat ad partes, atque utriusque opinionis sequaces, & fundamenta expendit; Atamen hodie ex magis communi, & vera sententia receptum est in foro pro regula, ut hæres institutus in

usufructu habeatur loco legatarii, vel hæres particularis, ille verò qui in proprietate institutus est, censeatur primus ac directus hæres ab initio juxta plenè firmata per *Belon. jun. ubi supra à Cappo. Latr. consult. 112. & 147. Marcian. jun. disput. 99.* & hanc perpetuò tenuit Rota, præsertim à tempore, quo coram *Merlino* articulum ex professo disputavit, ut apud eum *decis. 305. repetit. decis. 22. par. 6. rec. decis. 120. & 172. par. 9.* cum aliis in dicta *Imolen prædit sub tit. de leguima, & de raction. disc. 33.*

Est bene verum, quod ista non est regula necessaria, cum nullibi lex eam expresse statuerit, sed solum præsumptiva, quod scilicet magis comitatis DD. scholæ id credat disponentis voluntati magis adaptatum; Et consequenter ubi diversa voluntatis probatio etiam adminiculativa, seu conjecturalis accedat, concordant omnes ut ista attendat, ac prævalere debeat, cum nulla subsit ratio dubitandi, ut apud eosdem supra allegatos.

Quales autem sint præsumptiones, & conjecturæ, unam, vel alteram voluntatem suadentes, latè præceteris deducit, ac elaboratè expendit *Belon. jun. loco cit.* ubi videri potest; Ad illud tamen advertendo, quod non ex eo, ut aliqua conjectura, casu nonizata, vel rejecta quandoque sint, ita exinde in omnibus aliis casibus amplectendæ, vel rejiciendæ veniant, quoniam totum pender ex facti qualitate, & circumstantiis, ex quibus in uno casu mereantur amplecti, & in alio rejici, ut in fideicommissaria materia frequenter advertitur.

Applicando autem ad hanc facti speciem; Agebatur de testamento viri idiotæ, quod rudi, & grossolano modo conceptum erat, unde propterea omninò improbable dicebam, ut testator ad hujusmodi subtilitates cogitare potuerit; Et quod magis, non adeò abhorruerat secundas nuptias, dum etiam in earum casu, aliquas vestes, aliaque bona mobilia uxori reliquit; Ideoque improbabile est, ut ad fructuum perceptorum, & consumptorum restitutionem eam obligare voluerit; Atque attendendo substantiam voluntatis potius quàm hujusmodi Juristarum subtilitates, ea mihi videbatur, quod usquequo mulier in statu viduitatis permanisset, voluerit testator, ut tanquam adhuc faciens figuram suæ uxoris, commode, ac decenter viveret, postquam verò per transitum ad alias nuptias hanc figuram amplius non faceret, tanquam ex cessante causa, hoc subsidium cessaret, non autem, ut obligata remaneret, ita remanere indotata, restituendo fructus in statu bonæ fidei consumptos &c.

## ROMANA HÆREDITATIS DE GUEFFIR,

PRO  
CHRISTOPHORO, & ALIIS

CUM

CONVENTU MINIMORUM  
AD MONTES.

Casus disputatus coram A. C. sœpius per  
concordiam.

An, & quando institutio hæres in bonis  
alicu-

A 4

De LUCA  
de  
testamentis  
et cat.  
CVI  
9

## DE HAEREDe ET HAEREDITATE

alicujus Civitatis, vel Provinciae, dato alio haerede in reliqua universitate, dicatur haeres universalis, vel particularis; Et de duplici haerede, vel duplici haereditate, an, & quando detur in eodem defuncto.

### SUMMARIUM.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **R** Remed. l. fin. Cod. de edicto Div. Hadr. non competi haeredi particulari.
- 3 Haeres particularis non detrahit falcidiam.
- 4 De diversitate patrimoniorum ad materiam text. in l. si certarum.
- 5 De hac diversitate in feudatariis, & clericis.
- 6 De ratione dictae diversitatis.
- 7 De pluralitate patrimoniorum in eodem genere feudorum.
- 8 In paganis non datur haec distinctio.
- 9 Non attenditur formalitas verborum nisi sint universalis, vel particularis, sed substantia dispositionis.
- 10 Quando in pagano detur sicut ex patrimonio ratione diversorum negotiationum.
- 11 De eadem diversitate ratione Statutorum.
- 12 Quod detur eadem distinctio ratione diversitatis Principatumum.
- 13 De conclusione quod quis si suus confiscat in suo.

### DISC. III.

**S**tephanus Gueffir Gallus. qui longo tempore pro servitio proprii Regis in Curia vitam duxit, in testamento condito de anno 1665. afferendo de bonis in Gallia & alibi existentibus, jam per aliud testamentum dispo-  
 sisse ad favorem Christophori nepotis, volensque disponere de bonis Urbis consistentibus in locis montium, nominibus debitorum, & suppellectilibus, factis de eisdem bonis aliquibus legatis, haerem scripsit Conventum Minimorum Sanctissimae Trinitatis ad Montes, praescriptis operibus, in quae dicta bona erogari deberent, deinde in codicillis alia fecit legata, praesertim dicto Christophoro nepoti reliquit quaedam suppellectilia, & notabilem partem illorum locorum monti, quorum pretium per dictum Conventum in testamento in destinata opera erogari mandaverat; Quare inter Christophorum, & Conventum, orta controversia coram A. C. punctus disputationis erat, quis eorum esset haeres, vel legatarius respectivè, tam circa ordinem iudicii, cui scilicet debita esset immisso ex beneficio textus in l. fin. c. de edict. div. A. d. rollèd. dum ex magis communi & recepta opinione illud competit haeredi universali, non autem particulari, ex iis quae antiquioribus relatis habentur apud Menoch. de adipsend. remed. 4. quest. 19. num. 32. & seqq. Argel. de acquirend. poss. quest. 17. art. 2. numer. 14. plenè Rota in Fanen. seu Senogallien. bonorum 14. Martii 1646. coram Melio impress. post Patell. decis. 35.

Quam fortius ob competentiam falcidiae, cujus ratione defensores dicti Conventus hanc litem assumpserunt, quoniam cum nulla ejus prohibitio legeretur, ea Conventui debita fuisset, quatenus dici posset haeres universalis; Secus autem ubi particularis in re certa institutus ad text. in l. si lex falcidia §. nunquam ff. ad l. falcid. cum concord. per Peregr. de fideicom. art. 3. num. 5. Nulla tamen prodit resolutio, dum concordia controversiae finem

dedit, quoniam Christophoro, & aliis, cum naturali Gallicana impatientia, volentibus ad patriam regredi, litis mora nimium displicebat, eaque tolerari non potuit.

In disputationibus autem de super habitis; Scribentes pro Conventu, se praetendente haerem universalem bonorum Urbis, fundamentum constituebant in dispositione textus in l. si certarum §. Julianus ff. de militar. testam. & l. haeres in princ. ff. fam. l. ercisc. cum ibi communiter notatis; Istorumque jurium dispositionem rectè applicari dicebant ad casum, dum testator patrimonium distinguere voluit, Gallicum scilicet & Italicum; In uno instituendo Christophorum nepotem, & in altero dictum Conventum, quodque propterea ambo discretivè dicendi essent haeres universales in quolibet patrimonio; Ad instar illius duplicis patrimonii, & consequenter duplicis haereditatis, ac duplicis haereditatis, quae in jure communi dantur in militibus habentibus haerem militarem, & haerem paganicum, quod hodie praxis docet in feudatariis duplex matrimonium, & consequenter duplicem haerem universalem habentibus feudatibus, & allodialibus, respectivè, ex iis, quae habentur pluries sub titulo de feudis praesertim disc. 21. & seqq. Ac etiam habemus in clericis, qui milites caelestis militiae dicuntur, duplex habentibus diversum patrimonium, duplicemque haerem universalem Ecclesiasticum, & profanum ex pluries deductis sub tit. de testam. ac etiam sub titulo de benefic. disc. 81. & 100. Atque super his, pro consueto inepto transcriptorio stylo, chartae copiosis allegationibus implebantur, magnique superflui apparatus fiebant, sed inutiliter utpote super notoriis propositionibus, quas tanquam praesupponendas, sufficiebat insinuare, dum non controvertentur.

Scribens ego pro Christophoro, & legatariis, qui illi adhaerebant, ad effectum impediendi detractionem falcidiae, (et pro quo effectu principaliter hujusmodi disputationes habitae fuerunt, cum alter punctus ordinis, seu competentiae, vel incompetentiae dicti remedii, parum, vel nihil referret;) Dicebam quod omnia praemissa in abstracto, vel in suo casu essent vera, quodque absque tam improbo inani labore sufficiebat ea insinuare; Verum fallacia manifesta erat in applicatione, cum rectè procedant in ea persona, quae ratione adjuncti ministerii, quamvis materialiter unica, formaliter tamen duplex, vel multiplex esse potest ut sunt in hoc proposito, milites, ac feudatarii, & clerici; Quoniam ex persona propria jure privato, unus reputatur paganus suum habens paganicum seu privatam patrimonium, ac haerem, eo modo quo habet quilibet privatus homo de hoc mundo; Ratione vero feudis, vel militiae, seu clericatus reputatur homo diversus.

Quinimò in feudatariis, etiam in eodem genere feudorum, dantur diversa patrimonium universalis, pro diversitate Principatumum inter se non connectentium, quamvis unica sit persona, ad instar plurium Ecclesiarum Cathedralium aequè principaliter unitarum, ac existentium sub regimine unius Episcopi ex deductis sub tit. de praemin. disc. 7. Et ad instar plurium Regnorum, vel Principatumum ab eadem persona, vel corona possessorum sub diversis titularis quolibet eorum propriam, ac separatam naturam retinente ex deductis eodem tit. de praemin. disc. 29. Et de feudatario habente plura feuda, vel dominia in diversis principatibus habetur actum sub tit. de jurisdict. disc. 90. & in his terminis procedit dispositio dictorum jurium cum ibi notatis.

Secus

Secus autem ubi dicta personarum reduplicatio cesset, atque in eodem testatore unica consideretur persona pagani, seu viri privati, quoniam hic prohibetur duplex patrimonium diversum, duplicemque separatam universalem hæredem in solidum habere; Neque in hoc regionum, vel provinciarum diversitas quidquam operatur ad textum in *l. juris peritos §. cum oriunda ff. de excusat. in iur. cum concord. apud Alex. cons. 31. numer. 9. lib. 1. Salgad. in labyr. par. 2. capit. 12. ubi plenè de more alios colligit Rotam apud Royas decis. 267. repetit. decis. 222. numer. 20. cum seqq. post Zacch. de oblig. camer. decis. 51. numer. 11. post Merlin. de pignor. & in aliis.*

Atque hisstantibus, dicebam nil referre, quod in posteriore testamento ad favorem dicti Conventus testator usus esset verbis universalibus, quoniam in hac materia non attenditur formalitas verborum, sed substantia veritatis, ideoque nihil refert quod universitas patrimonii, seu hæreditatis relinquitur sub verbo particulari legati, nam adhuc erit hæres; Et è converso nihil refert quod rei particulari adjiciatur verbum universale institutionis, quoniam adhuc importat legatum, vel institutionem particularem; Quoties tamen alter datus sit hæres universalis, quo non dato, universalitas bonorum proficua remanet ad tollendam questionem, de qua *disc. sequenti*, an scilicet ille, qui ex beneficio juris accrescendi sive ex juris regula, ne quis decedat pro parte testatus, & pro parte intestatus, legis ministerio efficitur hæres universalis, per dispositionem particularem censeatur gravatus, necnè, hæreditatem restituere venientibus ab intestato; Sed ubi jam adest hæres universaliter institutus in aliis bonis, quam in iis, in quibus limitatè alter institutus est, tunc universalitas verborum apta non est immutare substantiam dispositionis particularis ex relatis per Rotam apud Royas dicta decis. 268. repetit. decis. 222. post Zacch. de oblig. cam. & decis. 63. numer. 26. & decis. 64. numer. 10. cum seqq. post Merlin. de pign. apud Capyc. Latr. cons. ult. 10. n. 13. & communiter.

Et quamvis, etiam in pagano, praxis doceat diversitatem patrimoniorum, etiam cum incompatibilitate inter se ipsa, quodque unum potest esse creditor alterius, seu emptor, & venditor, ac mandans, & mandatarius, ut habetur pluries *sub tit. de credito*; Attamen, ut ibi advertitur, id provenit, quatenus accedat mixtura tertii interessatis, vel quia sit negotium sociale, in quo cadat dicta reduplicatio personarum; Vel quia negotiationes ita distinctæ sint, ac omninò independentes; Atque eodem modo, quo unus & idem homo, in bonis privatis indifferenteribus, pagani seu privati personam repræsentat, in militaribus verò, seu feudatilibus repræsentat personam militis, seu feudatarii, ita potest quis repræsentare duplicem personam, unam viri privati indifferenteris, & alteram mercatoris, ex ibi ponderatis, ad effectum tamen concursus creditorum; Ad istum verò effectum habendi duplicem hæredem universalem in solidum, adhuc occasio non dedit formiter disputare, quamvis pro affirmativa nimium conferre videantur decisiones editæ in Romana de *Caulis coram Orano apud Grat. disc. pt. 256. n. 6. & seq.* in quibus firmatur, quod donatio, vel alia dispositio mercimonii, seu rationis bancariæ dicitur universalis, cum ita contineat in se universitatem juris activi & passivi.

Praxis tamen docet, etiam in pagano, diversitatem hæredis, cum diverso modo succedendi, ob

Statuta diversimodè in successionebus dispositione, præsertim in mulieribus, quibus in plerisque Civitatibus, vel regionibus prohibita est dispositio extrà filios, quoniam bona existentia in territorio statuente efformare dicuntur unum patrimonium, in aliis verò alterum diversum, atque ita unus, & idem, quamvis privatus, seu paganus reputatur duplex seu multiplex, ut apud Merlin. decis. 828. & 853. apud Royas decis. 157. cum concord. *sub tit. de Dono disc. 103. & seqq.* & habetur etiam pluries *sub titulo de success.* Verùm id provenit ex potentia legis, non tamen exinde inferri posse videtur ut privatus homo ex ejus privata dispositione id inducere valeat, ex vulgari regula, seu axioma, quod nemo facere potest, quin leges locum habeant ejus testamento.

Reflectendo autem ad hanc facti speciem; Quando hic testator distinctisset patrimonia, cum distinctio ne verè universalis, constituta ex diversitate Principatum omninò diversorum, quorum unus omnimodam independentiam ab altero haberet, adeo ut dici non possit, quod esset unus Principatus, unaque lex, quæ ex eadem auctoritate, utriusque Provinciæ, vel Principatus sit communis; Tunc, reflectendo ad veritatem, credebam quod iste concursus duplicis hæredis universalis, etiam non data militari qualitate, verificabilis esset; Verùm opus non fuit hanc disputationem assumere; Tum ob concordiam ut supra celeriter controversiæ finem dantem; Tum ob cessantem assistentiam facti, cum hæc institutio favore Conventus, restricta esset ad bona Urbis, cum eorum specificatione, consentientia scilicet in locis montium, nominibus debitorum, & illis mobilibus, de quibus per particulare legatum dispositum non esset; Dicta verò circumstantia accedente, quod scilicet testator unum hæredem instituisset in bonis existentibus sub Imperio, seu Monarchia Regis Galliarum, & alterum in omnibus bonis, & juribus existentibus in universa temporali ditione Ecclesiæ, sive in dominiis, ac universa Monarchia Regis Hispaniarum, &c. Tunc advertēbam, quod rectè dari posset iste concursus duplicis diverſi hæredis universalis, ex iisdem rationibus, & fundamentis, ex quibus in Romana confiscationis pro Marchione Frangipanio cum Camera, distinguebam conclusionem, seu questionem, an data publicatione bonorum in uno territorio seu loco sub eo veniant bona in aliis Civitatibus, & Territoriis existentia, adeo ut quilibet confiscare possit in suo, ad intelligentiam theoricæ Bartoli in *l. 1. Cod. de Summa Trinit. num. 50. & 51.* de qua præ exteris omnium latius, ac ad facticatem agit Bellon. *jun. de jur. accresc. capis. 10. quest. 3.* & habetur de dicta causa *sub titulo de Regalibus in supplemento*; Si enim, ex ibi deductis, dari potest, ut unus, & idem, pro Imperiorum diversitate, in uno Imperio, vel Principatu, possit esse servus pænz, & incapax habendi hæredem, in altero autem ingenuus, ac liber homo, capax habendi hæredem, hinc de consequenti intrat etiam ista compatibilitas, quæ resultat à jure Romanorum, ac eundem effectum operatur intra illud Imperium, intrà quod ex eadem auctoritate id jus commune sit; Secus autem è conversò ubi, data etiam diversitate Principatum independentium, intraret generaliter confiscatio favore cujuslibet fisci in suo; Ideoque istæ conclusiones connexæ videntur, atque decisio unius confert ad decisionem alterius; Atque ad idem conferunt deducta dicto *disc. 90. de jurisdict.*

De LUCA  
de  
testamentis  
et  
civ.